



# Disputatio juridica inauguralis de usufructu

<https://hdl.handle.net/1874/345781>

DISPUTATIO JURIDICA  
IN AVGURALIIS,  
DE

# USUFRUCTU,

QVAM,  
FAVENTE DEO OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

## M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiæ Doctoris, & Linguae Sanctæ in Illustri  
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, & Nobilissima  
Facultatis JURIDICÆ Decretō,

### PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum Examini subicit

ANTONIUS VASTRICK, TRAJECTINUS.

A.D. 27. DECEMBRIS, horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academæ  
Typographi, clc xciiii.

D.D. WILHELMO  
VASTRICK,

Curiæ Provincialis Trajecti-  
næ Prographiario, multarum  
Fiscalium Quæstori, Paren-  
ti optimo, filiali ac debito  
amore & honore colendo  
observando.

*Hanc Disputationem inauguralem*

offerò & inscribo

ANTONIUS VASTRICK.

*Auct. & Resp.*



II

## DISPUTATIO JURIDICA

### INAUGURALIS,

non satis est quod in nobis sit res aliena, sed etiam quod sit res nostra, quia non  
est ea res nostra, quia non est ea res nostra, quia non est ea res nostra.

## USUFRUCTU.

**A**ntequam de ipso usufructu agam, verbum de servitutibus in genere præmittam, est autem *Servitus*, *jus quo res aliena nobis, aut rei nostræ servit id est utilitatem aliquam præstat.* Hoc jus cum vel personæ, vel rei cohæreat, hinc servitus vel personalis est, vel realis.

*Realis servitus est cum res aliena rei nostræ servit, eaque iterum vel urbana est, cum servitus debetur prædio urbano, vel rustica cum prædio rustico debetur. Personalis servitus est cum res aliena*

A 2

nostræ

## DISPUTATIO JURIDICA

*nostre personae servit.* Inter servitudes personales præcipuus est usufructus, de quo pro ingenii tenuitate breviter aëturus sum.

## I I.

*U*susfructus est jus alienis rebus utendi fruendi *salva rerum substantia* princ. inst. b. tit. l. 1. ff. eod. dicitur jus id est facultas jure concessa quæ competit usufructuario, nam ratione domini proprietatis non est jus, sed servitus. Addo *alienis rebus*, quia res sua nemini servit. l. 26. ff. de servit præd. nr. atque hinc rejicienda videtur quorundam doctorum divisio ususfructus in Causalem & Formalem. Additur *utendi fruendi* solum enim verbum *utendi* non sufficit, quia plus est *frui*, quam *uti*, & ita distinguitur usufructarius ab usuario, hic enim tantum utitur, hoc est eos fructus percipit, qui vitæ & necessitatibus sufficient l. 12. §. 1. ff. de usu & habit. cum usufructarius omnes fructus suos facit l. 7. & 9. ff. b. tit. subjungitur *salva substantia* quia sic distinguuntur a quasi usufructu, in quo substantia perit. §. 2. inst. b. tit. l. 2. §. 1. & l. 7. de usufr. ear. Rer. quæ usu consum. dicitur præterea *salva substantia*, quia si res pereat tollitur etiam ususfructus. pr. inst. b. tit. 1.

Con-

sideration

III.

Constituitur ususfructus vel a lege, vel a judice, vel a domino. Lege constituitur 1. patri in bonis adventitiis filiorum §. 1. *inst. per quas pers. cuique acq. l. ult. Cod. de bonis que lib.* 2. Etiam lex concedit patri usumfructum in dimidia parte bonorum filii emancipati §. 2. *inst. eod.* 3. Etiam conjugi ad secunda vota transeunti, lex concedit usumfructum in bonis quæ ex liberalitate prioris conjugis accepit l. 3. *C. auth. seq. Cod. de secund. nupt.* quod confirmatum est per novellam constitutionem hujus provinciæ dictam d'ordonnantie decisoir art. 11.

A judice constituitur ususfructus in judiciis divisioniæ familiæ erciscundæ, vel communii dividundo, cum uni proprietatem adjudicat, alteri usumfructum l. 6. §. 1. ff. b. tit. §. 4. *C. 5. inst. de offic. jud.*

Dominus constituere potest usumfructum vel inter vivos, vel in ultima voluntate. §. 1. *inst. b. tit.* inter vivos constituitur ususfructus pactis & stipulationibus d. §. 1. quo casu personalis actio competit ad petendam servitutem. *arg. l. 3. ff. obl. C. act.* nam ut realis actio seu confessoria competere possit, quasi tra-

con

A 3

ditio

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

ditio requiritur, quæ præcipue in patientia & usu consistit. *l. ult. ff. de servit. l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem act.* in ultima voluntate potest dominus constitutere usumfructum, cum uni legat fundum & alteri usumfructum. *d. §. 1.* quo casu tamen testator debet addere illa verba *deducto usufructu alias enim uterque in usufructu concurrit.* *l. 6 ff. de usufr. ear. rer. quæ usu cons. l. 19 ff. de usufr. legat.*

**V. I.** Ususfructus constitui potest in omnibus rebus corporalibus & incorporalibus *l. 3 ff. de usufr. ear. rer. usu cons. mobilibus & immobilibus, §. 2. inst. b. tit. l. 7. ff. pr. ff. eod.* omnium etiam bonorum constitui potest, modo non excedat dodrantis estimacionem. *l. 29. ff. b. tit.* excipiuntur servitutes praediales, quarum ususfructus legari non potest. *l. 10 ff. de usu & usufr. legat.* excipiuntur etiam res, quæ usu consumuntur ut oleum, vinum, frumentum, illæ enim neque naturali neque civili ratione usumfructum recipiunt. *d. §. 2.* utilitatis tamen gratia constituit se natus, ut istarum rerum quasi ususfructus constitueretur. *d. §. 2. & l. 2. §. 1. ff. de usufr. ear. rer.*

**V. I.** Differentiae inter verum & quasi usumfructum sunt hæc. *i.* verus ususfructus in usu consistit, quasi ususfructus in abuso. *dd. II. 2.* in verum usufructuarium nec

nec dominium transit nec possessio. §. 4. inst. per  
quas pers. cuique sed in quasi ususfructuarium tran-  
fit utrumque l. 7. ff. de usufr. ear. rer. 3. verus  
usufructus consistit in speciebus, sed quasi usufru-  
ctus in quantitatibus. d. §. 2. 4. verus usufructarius  
cavet se rem restituturum in specie. l. 1. §. 3. & ult.  
ff. usufr. quemadm. cav. sed quasi usufructarius  
cavet se rem restituturum in genere, vel rei aestimatio-  
nem. l. 6. & seqq. ff. de. usufr. ear. rer. ob

## VIII.

Circa cautionem usufructuarium duplex a Docto-  
ribus quæstio movetur. Primo quæritur an cautio  
usufructaria sit de substantia veri vel quasi contra-  
ctus. Respondeo negandum hoc videtur, nam quod  
omitti possit probatur ex l. 5. §. 1. ff. d. ut & l. 7.  
ff. usufr. quemad. cav. Secundo quæritur an testator  
cautionem fructuarium usufructuario remittere possit.  
Respondeo etiam hoc casu probabilis est negantium  
opinio per l. 1. Cod. h. tit. ratio est ne usufructua-  
rio fenestra aperiretur ad grassandum in re usufru-  
ctuaria.

## IX.

Effectus constituti usufructus est, quod usufru-  
ctarius lucretur omnes fructus naturales, industria-  
les & civiles l. 7. & 9. ff. h. tit. l. 5. Cod. eod., non  
tamen aliter fructus suos facit, quam si eos vel per  
se

## DISPUTATIO JURIDICA

se vel per alium perceperit. l. 12. §. ult. ff. eod. l. 13.  
ff. quib. mod. usufr. unde si moriatur ante perceptos  
fructus, licet maturi sunt, nihil ex iis ad hæredes ejus  
pertinet §. 36. inst. de rer. divis.

x.

Ad usufructuarium non pertinet thesaurus in fundo usufructuario inventus arg. l. 63. §. 3. ff. de acquir. , rer. dom. nisi forte ipse non data opera invenierit, tunc enim dimidia pars ipsi tanquam inventori cedit arg. §. 39. inst. de rer. div. de partu ancillæ , an ad fructuarium pertineat, vetus fuit quæstio, sed obtinuit Bruti sententia , qui statuit partum ancillæ in fructu non esse l. 68. pr. ff. b. tit. §. 37. inst. de rer. div. fructus enim hominis non in partu, sed in operis consistit. l. 3. § 4. ff. de oper. serv.

Præterea ad usufructuarii jus spectat, quod possit  
usufructum alteri locare, modo res sit quæ locari  
potest, ut si habeat usufructum fundi, recte eum  
fundum locat. l. 12. §. 2. l. 22. §. 1. ff. b. tit. §. 1. inst.  
de usu & habit. potest etiam vendere usufructum vel  
oppignorare. d. §. 1. l. 11. §. 2. ff. de pignor. & hy-  
poth. potest etiam eum alteri gratis concedere seu  
donare. d. §. 1. 40. ff. b. tit. quæ omnia in usufructu  
secus se habent. d. §. 1. l. 22. §. 1. inst. Quia

## AUGURALIS.

69

qui secundum naturam est, ut quem sequuntur  
commoda, etiam eum sequuntur incommoda l. 10. ff.  
*de R. J.* Huic usufructuarius sicut ab una parte emolumenta & commoda habet ex re usufructuaria, ita & altera parte onera & incommoda ferre debet, nam tributa & stipendia solvere debet l. 7. §. 2. l. 27. §. 3. ff. b. tit. l. 28. ff. *de usu & usufr. leg.* Sarta tecta etiam debet omnia praestare suis sumtibus d. l. 7. §. fin.

## XIII.

Generaliter usufructuarius debet uti re usufructuaria & in ea versari tanquam bonus paterfamilias. §. 38. *inst. de rer. divis.* ita ut causam proprietarii deteriorum non reddat. l. 13. §. 4. ff. b. tit. Hinc si gregis usumfructum habeat in locum mortuorum capitum ex foetu nova submittere debet. d. §. 38. l. 68. §. fin. & seqq. ff. b. tit. in locum demortuarum arborum alias substituere tenetur. d. §. 38. & l. 18. ff. b. tit. Nisi vi majore evulsæ sint. l. 59. ff. eod.

## XIV.

Extinguitur ususfructus variis modis. i. morte naturali usufructuarii. §. 3. *inst. b. tit. l. 3. §. ult. ff. eod.* est enim ususfructus jus personale quod cum persona extinguitur. d. l. 3. & l. 169. ff. *de R. J.* ad hæredes igitur

B

usus-

usufructus non transit, nisi forte testator Titio & ejus hæredibus usumfructum reliquerit, quo casu tamen cum morte primi hæredis extinguitur. *arg. l. 14. Cod. b. tit.* inde quæritur quomodo finiatur usufructus civitati relictus? respondeo vel si evertatur civitas, tum enim mori intelligitur. *l. 21. ff. quib. mod. usufr. amitt.* Vel spatio centum annorum, quia is finis est longævi hominis *l. 56. ff. de usufr.*

## X V.

2. Extinguitur usufructus morte civili, maxima & media capitis diminutione *§. 3. inst. b. tit. l. 209. ff. de R. f.* 3. Finitur usufructus non utendo per modum & tempus, si usufructuarius non utatur re secundum modum præscriptum vel a testatore, vel ab usufructuario. *l. 10. §. 1. l. 18. ff. quemad. serv. amitt.* per tempus, i. e. decennio inter præsentes, vicennio inter absentes, sine distinctione an res mobilis sit an immobilis. *l. pen. Cod. de servit.*

## X V. I.

4. Finitur usufructus cessione facta domino proprietatis. *d. §. 3. dico domino proprietatis*, quia cedendo extraneo nihil agitur *d. §. 3.* sed tamen tunc usufructus ad dominum revertitur *l. 66. ff. de Jure dot.* 5. Consolidatione. *d. §. 3. Consolidatio* (quæ etiam confusio dicitur) *l. 4. ff. usufr. quem. cav.* contingit quando usufructuarius proprietatem rei fru-

etuarie

Et uariae acquirit, aut proprietarius usumfructum, cuius rei ratio est quod res sua nemini servire potest.  
l. 26. ff. de servit. præd. nr. b.

## XVII.

I  
6. Extinguitur etiam ususfructus interitu rei d.  
§ 3. ratio est quia ususfructus est jus in corpore, quo sublatu & ipsum tolli necesse est. pr. inst. b. tit. Intelligendus autem est interitus rei totalis, nam si pro parte extinguatur res, pro parte adhuc retineri potest ususfructus. l. 53. ff. b. tit.

## XVIII.

V  
7. Etiam finitur ususfructus tempore vel conditio-  
ne existente, si ad tempus vel sub conditione fuerit re-  
lictus. l. 15. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 30. ff. de  
usufr. leg.



B 2

CO-

S I N I T

Ex Officina Polonica et Latina, Academia  
Typographia, die hoc scr. 17

# COROLLARIA.

I.  
Jus Naturale est immutabile.

## I I.

Locator habet tacitam hypothecam in iurectis. &  
illatis prædium urbanum.

## I I I.

Emphyteusis est juris gentium.

## I V.

Venditor non tenetur præcise rem tradere.

## V.

Donationes inter virum & uxorem sint prohibiteæ.

## V I.

Princeps legibus civilibus est solutus.

F I N I S.